

Q. No. 521, 18.

Eximium Par Fratrum,

B. M. II. 457

Adolescentes in exoptatissimam Parentum
spem ad altiora Academicarum Subsellia

tendentes,

II n
6968

CHRISTOPH. GOTTL.

&

NICOL. FRIDERICVM
SCHVVRTZIOS,

Dresdensis,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Parenti ipsorum Honoratissimo,

V I R O

BIBLIOTHECA
PUBLICA
MAGNANA

*Et muneris dignitate, & Canitiei Claritate
maxime Venerando,*

D O M I N O

M. IO. CHRISTOPH. SCHVVRTZIO,

Pastori ad D. ANNAE apud Dresdenses graui S. meritis.
bonis ominibus

ex conuictu suo & contubernio
remittit

M. CHRISTIAN. FRIDER. VVILISCH,
Lycei in montibus D. Annae Rector.

ANNAEBERGAE, Litteris Richterianis,

or

1439

A. D. A. M.



Atura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum adnititur. Quare ex eruditorum quoque museis hodie praesertim exulet solitudo, nisi quis ea asperitate est & immanitate naturae, ut hominum fugiat congressus, litterisque ita se abdat, ut ex his aliquid ad communem afferre fructum, & ipse aperta fronte in adspectum lucemque prodire saepius erubescat. At vero cum multae in hominum animis sunt latebrae, multi recessus, nec perfida ubiuis & plena subdolae versutaeque mentis consilia in aprico sunt, sed callide non nisi omnia agere, & ficta integritatis imagine fucum facere, his praesertim tam alienis a virtute & vera pietate temporibus, quam plurimi studeant, maxima adhibenda diligentia est atque cautio in eligendo eo, quocum consuescat aliquis, cujusque congressu utatur & familiaritate. Felices itaque putamus eos, quibus fratres sunt, quorum pectora genuino & vere fraterno inuicem caleant sanguine, & in quorum sinu omnes curas atque cogitationes mutuo deponere eo tutius possimus. Quos enim arctissimo consanguinitatis vinculo conjunxit natura, iisdemque enasci parentibus voluit, arctiori quoque tenentur amore, & perpetua, si pii sunt & vere germani fratres, amicitia conglutinantur, fratrumque salutem suis anteponunt commodis, & de suo potius cedunt jure sui que prius obliuiscuntur emolumentum, quam fratrum villo modo amorem violarent. Laudantur eo nomine inter eruditos inprimis & in perpetuum laudabuntur, perennatura quippe fraternae charitatis pariter doctrinae-
que

que gloria praeclari fratres, praeter Proculejum, equitem Rom.
 (1) notum in fratres animi paterni, Petrus & Jacobus P-
 TEANI, Hieronymus (2) & Jo. Baptista AMALTHEI, vno et-
 iam anno 1574. morte defuncti, Petrus (3) & Franciscus PI-
 THOEI, Henricus (4) & Hadrianus VALESII, vna a parentibus
 suis studiorum causa Parisias missi, Albertus & Thomas BAR-
 THOLINI, (5) Joannes & Caspar NAEVII, (6) Martinus & Ge-
 orgius Mylii, (7) Thomas (8) & Christoph. Reinesii in Academi-
):(2 am

(1) Horat. L. II. od. 2. v. 5.

(2) Jac. Aug. Thuanus L. LIX. Hist. f. 108. ad an. 1574. ita: *Abstulit & hic annus nobile par fratrum, Hieronymum & Ioa. Baptistam Amaltheos, Opitergii in Taruisino limite natos, quorum ille Philosophus ac Medicus praestantiss. ea morum suavitate fuit, ut vel solo aspectu omnium in se benevolentiam alliceret. In versibus pangendis praeterea ita excelluit, ut M. Antonius Muretus, acerrimus harum rerum iudex, ei inter Italos palmam detulerit. Obiit in patria XIII. Cal. VIIIbr. annos natus LXVII. hic pariter Graece Latineque eruditiss. in aula Rom. tanto vitae curriculo versatus ac tribus ordine Pontificibus cariss. Cardinalibus Tridentinae Synodi interpretibus a secretis fuit, ac multa vernacula lingua lustr, & fratre junior, nam tantum XLVII. annum attigerat, ad meliorem vitam Romae migravit XIV. Kal. Mart.*

(3) Personatus ille Clarmundus P. VI. p. 84. de Petro Pithoeo: *Seinen Bruder Franciscum Pithoeum, welcher ihm in der Erudition ziemlich gleich kam/ liebte er herzlich.*

(4) ita enim Idem Clarmundus P. I. Vit. Cl. Viror. p. 132. de Henr. Valesio: *Mit seinen Bruder kunte er sich überaus wohl vertragen. Denn sie studierten beyde fleißig und theilten die Arbeit unter einander/ wenn einer unter ihnen aufstunde und gelehrte Leute besuchte/ so sagte sich der andere nieder und studirete. Et p. 133. Etliche Scribenten melden von diesen beyden Brüdern/ daß sie so erpicht auf das Studieren gewesen/ daß sie nur Sonntags/ niemahls aber in der Wochen in die Kirche gegangen/ ob gleich die Mönche oftmahls öffentlich auf sie geschmählet und dieselben von der Tangel geworffen. Mira dictu!*

(5) Conf. J. F. Reimmannus in Einleit. zur Hist. Litt. L. I. p. 429.

(6) Freherus Theatr. Cl. Vir. p. 1268. & Meleb. Adami in Vit. Med. p. 98.

(7) confer sis Incunabula nostra Scholae Annaeberg. p. 107.

(8) Clarmund. P. II, p. 129.

970
am *Vittembergensem* a. 1603. vna profecti, *Jo. Henricus* (9) & *Jo. Christoph. Crameri* a. 1690. morte quoque inuicem se in beatiores caelorum sedes insecuti, & qui alii sunt complures, rarae alias fratrum concordiae memoria insignes. Adhuc etenim celebrantur in re litterarum publica *Fabricii Chemnicenses*, *Blasius, Georgius, Jacobus & Andreas*, fratres patre aurifabro ibi, nescio quo ordine, inde ab initio Seculi XVI. nati & ad litterarum bonarumque artium strenue propagandarum laudem fraterna nonnisi concordia & conspiratione conjuncti, quorum natu major, *Blasius Fabricius*, docuit aliquandiu bonas artes in *Gymnasio Argentinenfi*, vbi *Jo. Sturmio* vsus familiariter est, postea iuuentutis studia rexit *Busuelerae*, atque, pertaesus quippe Scholarum, a. 1571. *Argentinae* officinam aperuit *Typographicam*, id quod constat ex *Conradi Portae* Oratione de *vita & morte* fratris ejusdem, *Andreae Fabricii*, Pastoris primum *Nordhusani*, deinde *Islebiensis*: *Georgius* vero *Fabricius*, illustris tandem *Misenensium* Lycei, & *Jacobus Fabricius*, *Gymnasii Hallensis*, Rectores celeberrimi, praeclare de erudienda iuuentute meruerunt. De fratribus, *Kromayeris*, *L. Hieronymo Kromayero*, Superintendententi *Plawienfium*,

(9) Cl *Ludouici Schulhif.* P. I. p. 61. *Jo. Henr.* *Gymnasii Suijfurtenfis* Rector, & *Io. Christoph.* *Hist. Professor Tubingenf.*

(10) In Autographis Illust. Vir. in nostra Bibliotheca adseruatis haec reperitur epistola: *Docto & probo viro* d. *Blasio Fabricio*, *cui Argentoratensi*, *amico suo in primis colendo* S. D. Grata mihi est tua cura de nostra salute, sed cum *Miseni* fere omnes graui pestilentia conflissentur, in nos Dei benignitate nondum grassari coepit. De peste bellica, quae hac aestate Germanis a Germanis & Gallis nata est, magis doleo. Vestram fidem & constantiam, qui res gestas narrabunt, meritis laudibus afficient. Quo saepius ad me scripseris, eo majori beneficio me tibi deminctum tenebis. Fratri tuo, *Jacobo*, plurimam salutem meo nomine dicas. Vale *Kempniti* V. Cal Octobr, anno MDLII.

Georgius Agricola.

1957

am, M. Jo. Kromayero, Superint. *Vinariensium*, M. *Samuele Kromayero*, Pastore *Doebelensium*, peste a 1637. enecato, M. *Augustino Kromayero*, Pastore *Erffurdensi* ad aedem Mercatorum, *Daniele Kromayero*, *Otzdorffii* peste etiam interemto, *Thoma Kromayero*, *Sangerhusae*, & *Abrahamo Kromayero*, Lipsiae vita defuncto, de septem inquam, his fratribus *Kromayeris*, patre pauperiori, *Hieron. Kromayero*, Chirothecario & aedituo *Doebelae* oriundis, relatum est, singulari inuicem arfisse amore & promouendi alterius salutem paupertatemque fraternam pro viribus leuandi studio, donec plurimi eorum ex tam humili genere prognati, ad altiora DEI ministeria fuerint euecti. Felix itaque fratrum amor & concordia, Deo hominibusque probata, & ad bene beateque viuendum, ac studiorum coepta eo felicius fratre comite propulsanda, multum saepe conducit. Cum enim in tam lubrica iuuentutis via, qua multi labuntur, licet aliquantum jam cum laude processerint, monitore saepe & suafore opus nobis est, qui ad meliora sectanda instiget nos & adhortetur, nemo autem nisi genuinus frater vitia, quae a tergo saepe nobis sunt, libere atque aperte retegere eorumque foeditatem testatiorem nobis reddere libenter ausit, fratris omnino societatem in acceptis DEO, omnium bonorum datori, referendam esse arbitramur. Eadem felicitate gaudebat *Petrus*, princeps ferme inter *Christi* discipulos, qui ab *Andrea*, fratre suo natu minori, meliora de saluberrima tunc repullulantis Euangelii doctrina fufius edoctus, ad Magistrum & communem vniuersi terrarum orbis sospitatore fraterna deductus manu fuisse fertur. (II) Quenam alia quaeso, quisquis es, quae praestantiora

):(3

(II) *William Cave* in *Antiquitat. Apost.* p. 207.

1952
tiora a fratre exposceres beneficia, quatenus luculentiora vere fraterni amoris ac pietatis documenta. Nam aeternam fratris salutem tam provide curasse, non nisi ingenui & vere germani fratris fuisse arbitramur. Dignum omnino memoria est & lectu jucundum, quod in *P. Bertii* Geographia p. 503. de duobus fratribus, legimus relatum, quorum minor, cum natu majorem, facto in Syrtibus ~~Judicis~~ prope *Madagascar* a. 1585. naufragio, aquis videret mergi, rogavit, ut dimisso fratre, se Neptuno projicerent hostiam, eo quod ille peritior esset, se juuene adhuc imperito, plusque posset generi humano ac desertae familiae prodesse. Perrara utique & a fratribus non ubique expectanda fides. Quod si etiam aliena nos juuant exempla & admonent, ut eos imitemur, quorum virtus omnibus probatur, felix omnino est, qui domestica fratris in promptu habet exempla, quae sequatur e vestigio, indeque perpetuum gloriae, laudisqus calcar adsumat, praesertim cum & aetate & doctrina virtuteque major erit & praestantior frater, ita ut verius gloriari cum Comico (12) illo *Ctesiphone* possit: *itaque unam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror, Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.* Beatos igitur, ut summam scriptionis faciam, atque fortunatos judicamus fratres & animo & fortuna pares, qui mutuo inflammati amore, aut ab inuio & tortuoso mentis peruersae tramite inuicem se abducunt, inque planiorem velut amica manu pertrahunt virtutis semitam, aut recta, si qua ire jam cum laude coeperint, ut strenue pietatis via pergant, persuadent, instigant & ad-

(12) *Terent. Adelph. Act. II. Sc. III. v. 4.*

hortantur. Quorsum autem haec omnia spectent, & quem
in finem haec praefatus Tibi fuerim, *Vir Reuerende*, illico co-
gnoscis. Tuus in me amor tantus ante quinquennium erat, vt
quae carissima Tibi pignora pretiosissimaque & sunt & esse
debent, duos, inquam, filios, domestica jam solerter imbutos
institutione, fidei meae &, si qua in me est, doctrinae concre-
deres, eosque, sacris inprimis iisque demum, quae ab huma-
nitate nomen habent, litteris poliendos, altioribusque Acade-
miarum studiis praeparandos a me curares. An Tuae, quam
de me conceperas, exspectationi fatis fuerit a me omni ex par-
te factum, ipse posthac aequior tamen & benignior iudex
eris. Quantulumcunque autem boni a me profectum in
tuos per hunc temporis tractum sit, id omne tamen non o-
pus meum fuit, sed soli diuinae clementiae adscribendum,
quae adstitit coeptis nostris, omnibusque laboribus sua prae-
sto fuit benignitate, quae etiam omnia ea, in quibus mea,
quam noui, imbecillitas Tibi Tuisque defuit, plena manu
imposterum resarciet atque diuinitus compensabit. Re-
mitto igitur nunc DEO duce ac comite Christo, filios Tuos
in Tui amplexum commerito vitae morumque testimonio,
quod prolixius describerem, nisi verendum mihi esset, ne fu-
rior in os filiorum laudatio molesta Tibi & odiosa prope-
modum Tuae, qua clares, modestiae & senili grauitati foret.
Deum profecto ea, qua par est ac decet, pietate colere, omnem,
quibus sacrati sunt, studiis laborem tribuere, & ad meliora
momentium voluntatem se totos componere, quod que pri-
mum ferme dixerim & praecipuum, *ἀγάπην, ἣτις ἐστὶ σύνδεσμος τῆς*
τελειότητος, fraternam charitatem & concordiam illaefam vbi-
que seruare & inuiolatam, adfueuerunt, suisque moribus ad
hu-

umanitatem & modestiam efformatis, ipsius *Kunadi* nostri
umme *Reu.* nec non *Schuchmanni*, Medici Doctoris & Con-
sulis grauis. quin & *Zimmermanni*, *Genselii* & *Pocari*, Verbi Di-
uini apud nos praeconum, aliorumque genuinae virtutis ju-
dicum, beneuolentiam de facili sibi conciliarunt, digni ita-
que, qui a me & *Cl. Mullero* nostro optimis nunc omnibus
dimittantur. Quare supplices veneramur Deum, praepo-
tentem rerum humanarum arbitrum, vt vegetam Tibi, Ve-
nerande Senex, & ab omni malorum genere fartam tectam-
que diu conseruet canitiem, quo exoptatissimis paternae
Tuae in filios, quae major esse vix potuit, pietatis sumtuum,
que in eorundem salutem non parca manu erogatorum fru-
ctibus ex voto perfrui quam diutissime possis. Haec enim
summa votorum omnium & est & esse debet. Vale!

Scrib. *Annaebergae* ipsa Septimana Magna A. R. S.

clbcccxii.

AK No 6968

X 3331023

VD 18



211

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13



...mum Par Fratrum, *B. m. II, 457*
 ...a exoptatissimam Parentum
 ...ora Academiarum Subsellia
 ...tendentes,
PH. GOTTL.
 &
FRIDERICVM
VARTZIOS,
Dresdensis,
 ...rum Honoratissimo,
VIRO
mitate, & Canitiei Claritate
xime Venerando,
M I N O
PH. SCHVARTZIO,
 E apud Dresdenses grauis. meritis.
 nis omnibus
 cu suo & contubernio
 remittit
N. FRIDER. VVILISCH,
 ontibus D. *Annae* Rector.
 RGAE, Litteris Richterianis,

II n
6968

BIBLIOTHECA
FURCHRAMANA

62

